



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

In Concilium Florentinum Oecumenicum Decimumsextum approbatum,  
centum quadraginta & vnus episcoporum, contra errores Graecorum, sub  
Eugenio papa IV. anno Domini MDXXXVIII. & MDXXXIX. celebratum, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

I N

<sup>a</sup> CONCILIVM <sup>b</sup> FLORENTINVM  
<sup>c</sup> OECVMENICVM <sup>d</sup> DECIMVMSEXTVM  
<sup>e</sup> approbatum, <sup>f</sup> centum quadraginta & vnus episco-  
porum, <sup>g</sup> contra errores Græcorum, sub Eugenio pa-  
pa I V. anno Domini MDXXXVIII. & MDXXXIX. cele-  
bratum,

N O T Æ.

Hæc Syno-  
dus ab Eu-  
genio indi-  
cta.

Causa &  
ocasio in-  
dictæ Syno-  
di quæ.

<sup>a</sup> Concilium.] Hæc sacrosancta Synodus ab Eugenio quarto papa  
cius nominis indicta, rogatu orientalis imperatoris celebrata fuit.  
Qua occasione autem illud acciderit, Laonicus Chalcocondylas re-  
rum Turcicarum libro primo his verbis enarrat: *Romani & eorum*  
*pontifex maximus, nullam prorsus occasionem omitentes, legatos mis-*  
*runt ad Græcos, vt conuenientes in vnum, Conciliumque celebrantes,*  
*concordiam, quantum ad Christianam religionem atinet, inter sese con-*  
*glutinarent. At Græci cum plurimis annis aduersus Romanos contentio-*  
*nes mouissent, noluerunt patrium religionis suæ cultum perturbari. Tandem*  
*Ioannes Palaologus Græcorum rex, assumptis Byzantii episcopis &*  
*Græcorum doctis, ad colloquium venit cum pontifice Romano Eugenio*  
*quarto. Tandem Græci pariter & Romani in religionis negotio consense-*  
*runt. Eadem scribit infra libro sexto his verbis: Græcorum rex legatos*  
*ire iubet ad Romanum pontificem Eugenium nomine, petentes vt Con-*  
*cilium celebraretur, quo inter vtrosque religionis contentionem decenter*  
*componerent. Tentabat eo modo occidentalium animos, num plurimi fa-*  
*cerent concordiam constabiliri cum Græcis in religionis controuersia. Le-*  
*gati in Germaniam venere. Ea tempestate Germani Basilee erant con-*  
*gregati, dissidentes sententiis contra Eugenium pontificem, quem repro-*  
*bantes, crearunt pontificem nomine Felicem, virum inter ipsos in primis*  
*spectatæ probitatis. Hæc de occasione & causa congregandi Concilii*  
*Chalcocondylas.*

Græcorum  
patriarcha  
quo animo  
vniõne pe-  
tuerit, quid-  
ve moriens  
dixerit.

Ne vero Græcos ipsos non domestica conscientia, sed sociorum  
cohortatione ad hanc cum Romana ecclesia concordiam ineun-  
dam tractos putaremus, perpendendum est, quod Iosephus patriar-  
cha Constantinopolitanus cum esset solus, ac horam mortis suæ,  
quæ etiam subitanea erat, præsentiret, id quod habetur tomo 32.  
sessione 25. huius Concilii Florentini, pag. 506. scriptum reliquit:  
*Quoniam ad finem vitæ meæ perueni, &c.*

Eugenius  
cur Ferrar-  
iæ Synodū  
indixerit.

Eugenius Græcorum petitioni merito magnoque cum gaudio ac-  
quiescens, dissoluto Basileensi Concilio, quo priuilegia Romanæ ec-  
clesiæ diuino iure concessa impugnabantur, Synodum indixit, lo-  
cumque conueniendi aptissimum, oris maritimis vicinum designa-  
uit, Ferrariam nimirum, quo loco omnes præfixo tempore conueni-  
rent. Quomodo aduentantes Græcos pontifex Ferrariæ exceperit,

prædicto libro sexto Chalcocondylas ita describit: *Ambo igitur pontifices (Eugenius nimirum, & contra eum electus antipapa schismaticus Felix V.) triremes instruunt, & Ioannem Byzantii regem accerserant. Vterque enim sub se Concilium agitari, & religionis controuersiam, qua cum Græcis intercesserat, finiri volebat. Cum ab utroque venissent triremes, rex quidem benignis verbis & placide Concilii Basileensis legationem dimittebat, dicens, se cum Romanis & Venetis, & cum reliqua Italia iam ante collocutum, qui omnes se Romam proficisci iubeant. Assumens itaque Byzantii sacerdotes, & Græcorum sapientissimos & doctissimos, nauigabat in Italiam. Cum venisset ad Venetos, inde soluens ferrebat Ferrariam, ubi morari pontificem Eugenium acceperat.*

Quomodo  
imperatorē  
excepit.

Quid vero in ipso Concilio Florentino, post finem illius inter Eugenium papam, Græcorum imperatorem, aliosve Latinorum & Græcorum episcopos, actum fuerit, idem Laonicus Chalcocondylas prædicto libro sexto pergit recensere his verbis: *Huc cum peruenissent Græci, multa diu egere cum pontifice in religionis negotio, volentes id ad optimum deducere finem. Postremo eo ventum est, ut inter se consentirent, & concordiam inter se conglutinaerent. Itaque in hanc sententiam euntes, decreuerunt in posterum nihil in religionis negotio innovare. Et ut ista rata manerent, scriptis & sanctorum obtestatione sanxerunt, se deinceps unanimes in religionis negotio fore. Hinc Romanus pontifex allegit in cardinalium ordinem (qui primus apud pontificem est) viros duos Græcorum nobilissimos, eosque sibi familiaritate iunxit. Vocantur enim cardinales, quasi religionis duces & antistites. Hos enim honore sibi proximos triginta eligit pontifex, usque sociis & consiliariis utitur. Suppeditat his reditus sufficientes, assignans eisdem regiones, unde opes sufficientes accipiant. Hic quidem minores, alius maiores acquirunt opes, secundum regiones quas singuli sortiuntur.*

Quid post  
Concilii  
finem actū.

In horum igitur album retulit pontifex viros duos Græcorum, Bessarionem Trapezuntium Nicæe episcopum, & Isidorum Samaria (qua & Russia) episcopum. Nam horum opera plurimum adiutus est in concordia cum Græcis ineunda. De Bessarione qua accepi, diligenter annotabo. Bessarion tanto erat instructus a natura intellectu, ut præstantissimos Græcorum non dico æquaret, verum superaret. Iudicio in re qualibet plurimum pollebat. Græcarum Latinarumque literarum tanta peritia huic viro inerat, ut facile eruditionis palmam inter omnes caperet. Nicolaus qui Eugenio successit, virum hunc coluit plurimum. Quapropter Bononia vbi opulenta eum præfecit, ut eam tutaretur.

Ad eandem hanc sacrosanctam Synodum Armeni, inquit Naucleus in chronico, ex India miserunt oratores suos, postulantes & supplicantes instrui & erudiri in his qua sunt fidei, a Romana ecclesia, & vniri cum ea in caritate Christi: qui examinati, in paucis reperti sunt dissentire a catholica fide, & in illis subiecerunt se correctioni apostolicæ sedis, qua de consilio pralatorum decreuit, eos ritibus suis qui non sunt contra veritatem fidei, permittendos, ut & Græcis, licet dissimiles sint a moribus Latina ecclesia. Quibus vero a fide vera discrepabant, his prohiberi debere, ut quod sacramentum confirmationis non habebant in vna

Armeni  
quid in Cō-  
cilio obti-  
nuerint.

conferendi illi nationi, declarato iis, quod illud sicut cetera sacramenta debeant accipere, credere & conferre: & aliqua alia, quibus acquie- runt. Hæc Nauclerus.

Quid vero inter ipsos & Romanam ecclesiam transactum fuerit, inuenies supra in bulla Eugenii papæ.

Locus C6-  
cili.

<sup>b</sup> Florentinum.] Hæc sacrosancta Synodus cœpta est celebrari Ferrariæ. Inde post habitas sexdecim sessiones, ob pestem quotidie grauius ingrauescentem, translata est Florentiam, ibique nouem sessionibus celebratis, finita & absoluta fuit anno millesimo quadringentesimo trigessimono, pridie Nonas Iulii, cum anno vno & tribus fere mensibus durasset.

Ferrariæ  
descriptio.

Hadrianus Romanus in suo paruo theatro vrbiū, Ferrariam describens, ait: *Ferraria sita est ad Padum, estque vna ex famatissimis ciuitatibus Italiae, ornata pulcerrimis palatiis, nobilitate ditissima. Academia hic est, quam concurrentia causa cum Bononiensibus constituit Fridericus II. Paucis annis elapsis multos passa est tremotus.*

Florentiæ  
descriptio.

Idem de Florentina vrbe agens, scribit ista: *Florentia nomen quibusdam habere creditur a flore, quod videlicet in medio Etruria instar floris campi sedeat. Sicuti etiam longo tempore pro insignibus vitur lilio. Vel dicitur Fluentia, cum sita sit ad fluuium Arnū. Aliqui existimant olim dictam Arminam. Sita est sub cali plaga benigna, cum aere perfectissimo. Antiquitus colonia fuit Iani, aucta postea ruinis Fesularum, sicuti Roma ex ruinis Alba longæ. Hanc ciuitatem e tyrannide Longobardorum eripuit Carolus Magnus: postea semper fuit libera vsque ad tempora Caroli quinti, qui eam victam in gratiam Clementis septimi dedit eius cognato Alexandro Medices, hactenusque ciuitas Medicæ ducibus Etruria paruit. Ciuitas hodie est Etruria totius metropolis, amœnissimo loco sita. Ab oriente & septentrione collibus amœnissimis, & vndique fructiferis arboribus vestitis cincta mediæ theatri instar. Occidentali latere mediam in planitiem incedit, videturque fere umbilicum Italia tenere. Nobilissimis ædificiis cum diuino cultui, tum ciuium vsui paratis nitet. De eadem Chalcocondylas libro 6. ait: Florentia Italia vrbs opulentissima est, ciuesque ad agriculturam & mercaturam extrudit. Hi intelligentia reliquos excellere videntur: optimeque efficitur quidquid viri isti fuerint aggressi. Respublica hoc modo administratur. Est in ea consilium quingentorum virorum, qui de ciuitatis rebus consultant, de bello, de pace, de legatis sententiam ferentes. Habent viros duos\* peregrinos, quos accersentes plurimum venerantur. Vnum criminum capitalium iudicem constituunt, alterum reliquas vrbis controuersas, &c.*

\*eos pre-  
torum sine  
potesta-  
te vocat.

Quo loco sessiones Ferrariæ habitæ fuerint, apud acta Concilii initio sessionis primæ dictum inuenies.

Oecumeni-  
cum Con-  
ciliū fuisse  
probatum.

<sup>c</sup> Oecumenicum.] Nulli dubium esse potest oecumenicam & vniuersalem esse Synodum, cui Iulianus sedis apostolicæ legatus præfedit, cuique non tantum Iosephus Constantinopolitanus, verum etiam alii orientales tres patriarchæ per suos vicarios interfuerunt & subscripserunt.

<sup>d</sup> Deci-

<sup>4</sup> *Decimum sextum.*] Quamquam Laurentius Surius in præfatiuncula quadam ad lectorem, quam infra subiungam, falsam illam octauæ Synodi inscriptionem a Bartholomæo Abrahamo Cretenfis actis synodalibus præfixam, metu nescio cuius temeritatis auferre & aboleri noluerit; ego tamen aliorum virorum, quos supra in notis ad Concilium œcumenicum octauum allegavi, hortatu animatus, non tantum ex titulo, verum etiam ex ipsis actis synodalibus pro voce, *octaua*, decimam sextam substituendam esse putavi.

Quorum fuerit Concilium œcumenicum.

Et quamquam Ferrariæ decem priores sessiones habitæ fuerint, tamen Florentinum potius quam Ferrariense inscribendum esse iudicavi, propterea in primis, quod sub hoc titulo communiter a scriptoribus citetur & nominetur.

Cur Florentinum incribatur.

Ne quis præfationes quas Bartholomæus Abrahamus Cretenfis & Laurentius Surius huic Concilio præposuerunt, desiderare possit, volui eas hoc loco cufas lectori exhiberi. Abrahami Cretenfis præfatio ista est.

Benedicto de Accolitis Rauennati archiepiscopo, Bartholomæus Abrahamus Cretenfis, præsul Arienfis, salutem dicit.

**C**OGITANTI mihi, præsul humanissime, quonam pacto tibi sacrarum literarum studiosissimo, ac omni virtute prædito, pro tuis in me maximis meritis aliqua ex parte gratias referre possem, tu sane longe aliud molienti quasi obuiam produisti, utque generalis octauæ Concilii iam pridem Florentiæ habitæ acta e Greco in Latinum sermonem verterem, mandasti: qua quidem nescio qua de causa Latinitate donatâ non extant, cum memoria proditum sit, duos scribas Græcos, totidemque Latinos, qui eidem interfuere Concilio, ea ipsa Græcis Latinisque litteris diligentissime conscripsisse. Sed id alii viderint, mihi autem Græco homini, litterisque Latinis non satis erudito, onus tantum subiisse, non mediocri negotii visum fuit, præsertim non inscio, multa scientiarum genera in ipsis actis disseminata esse, qua nisi quis mediocriter saltem caluerit, acta ipsa nequaquam intelligere, nedum Latinis bene tradere possit. Quis enim summam in ipsis theologiam desiderabit? Vbi primo subtilissime disputatur, an purgatorium sit, & quidnam sit: & an anime sanctorum felicitatem suam absque corporibus suis assecutæ sint: deinde, an posteriores œcumenicæ Synodi priorum actis quidquam addere, vel ab eis auferre possint: & an Romana ecclesia absque generali Synodo particulam illam, Ex Filioque, symbolo licuerit addere. Quod quidem & ipsi facere licuisse, nec non ad Romanum pontificem rite pertinere, ambigua in fide abstrusaque declarare, ac œcumenicam Synodum iniussu eiusdem Romani pontificis celebrari non posse: Romanam denique ecclesiam caput & principem ceterarum ecclesiarum existere, probatum ac susceptum ab ipsa Synodo est. Vbi præterea perquam subtilissime disputatur, an sanctus Spiritus ex Patre, nulla facta de Filio mentione, ut Græci, vel ex Patre Filioque (ut ecclesia Romana asseuerabat) procedat. Postremo, an Græcis liceat pane fermentato sacrificare. Præterea, quis vel naturalem philosophiam, vel metaphysicam in eisdem actis

VIII. Synodus rectius dicitur habitata Constantinopoli, qua restitutus est fedi suæ Ignatius.

desiderabit, in quibus de Dei Filii generatione, de diuinarum personarum distinctione, ac ipsarum relatione subsistentiaque acutissime pertractatur? Quis denique sine dialectices ac rhetorices arte luculentissimas illas rationes bene percipere posset, quas & Iulianus ille cardinalis amplissimus, ex nobilissima Casarinorum familia ortus, pro Romana ecclesia, & Bessarion tunc Nicenus archiepiscopus, quem deinde ob diuinum eius ingenium multiplicemque doctrinam Eugenius quartus pontifex maximus amplissimorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium collegio consensu omnium cooptauit, in eodem ipso Concilio habuere? Tantam ergo prouinciam aggredi meus animus mirum in modum extimefcebat. Verum quid facerem, cum nisi tibi saltem obsequio satisfacissem, acerbam mihi vitam viuere viderer? Hinc factum est, antistes humanissime, ut iussa tua, quibus apud me nile est validius, animum meum impulerint, ut audacia quadam rem tantam meis viribus imparem sim aggressus: qua tamen in re summo studio, vel potius Spiritus sancti (de quo agebatur) benignitate mihi videor effecisse, ut quamuis elegans stylus ab elegantissimo ingenio tuo desiderari possit, qua tamen literis non minus barbare quam confuse relictas fuerant, ita ut vix intelligi possent, ea fideliter explicauerim, ac dilucide literis Latinis (quantum Graeco homini licuit) mandauerim, ut quisque vel mediocriter bonis literis eruditus acta ipsa sine vlla difficultate intelligere possit.

Multa quoque superuacanea, & nihil ad hanc diuinam rem facientia, volens prudensque praterii, ne lectoribus fastidio essent. Nam Graeci scriba ludos singulos & honores quibus Constantinopolitanum imperatorem primo magnificentissimi Veneti, deinde Ferraria prudentissimus ille marchio, postremo nobilissimi Florentini persecuti fuerint, testatos literis reliquerunt, & actibus diuini Concilii ineptissime inseruerunt. His igitur, atque nonnullis priuatis ipsorum Graecorum inter se disceptationibus & controuersis ad rem neutiquam pertinentibus (ut praedictum est) praetermissis, publicas tantum eorum cum Latinis disputationes & controuersias fideliter ac vere de verbo (ut tute utriusque lingua studiosissimus, equus iudex poteris esse) e Graeco in Latinum sermonem conuertit. Nec non tertium magni Basilii in Eunomium de Spiritus sancti processione sermonem, olim a Gregorio Trapezuntio Cretensi conuersum, quo Synodus ipsa vehementer innixa fuit, & quamdam ipsius Bessarionis orationem, ab eodem dogmaticam nuncupatam, ac eiusdem nominis epistolam, quas ipsemet post multos annos in Latinum traduxerat, ut ipsa eadem acta clarissima redderentur, huic operi addidi. In quo quidem, doctissime pontifex, & tuum erga sacras literas studium summo opere laudabitur, quod diuinum hoc opus obliuioni iam traditum, te auctore in lucem prodierit; & summa mea in te obseruantia ceteris quoque mortalibus innotescet, quod te iubente oneris tantum subierim, ac te efflagitante ad metam vsque peruenerim. Rogo igitur te, ut meas huiusmodi lucubrationes, quale scumque sint, tuis auspiciis inceptas atque confectas, ac tuo nomini consecratas, suscipere, amplecti, fouereque non dedigneris. Vale.

Præfatiuncula quam reuerendus pater Laurentius Surius hifce synodalibus præfixerat, ifta eft quæ fequitur.

Lectori candido frater Laurentius Surius.

**Q**UID Græcis in mentem venerit, vt hanc Synodum Florentinam octauam nuncuparent, docti viri admirantur. Poterat aboleri numerus ille, fed ne id temeritati tribueretur, relinquere illum malimus, contenti admonuiffe lectorem, non recte dici octauam, quam aliquot alia infignes Synodi generales poft alteram Nicæe habitam, quæ feptima numeratur, antecelferint. Vale.

<sup>e</sup> *Approbatum.* ] Auctoritate nimirum Eugenii papæ aliorumque pontificum, vt videre eft in bullis duabus Eugenii, quæ actis synodalibus infertæ leguntur. Approbatum fuit.

<sup>f</sup> *Centum quadraginta & vnus epifcoporum.* ] Horum nomina infra fubfcripta reperiuntur. Huic Concilio ipfe pontifex Eugenius præfto fuit, cum vix vnum orientalium Conciliorum dari poffit, cui pontifex in perfona propria interfuerit. Patrum confelfus idem hic qui in primis œcumenicis obferuatus eft: in medio conftitutus fuit codex euangeliorum, quem intuentes, Chriftrum, iuxta datam promiffionem, fibi præfentem effe meminiffent. Numerus epifcoporum.

<sup>g</sup> *Contra errores Græcorum.* ] Quod nimirum de proceffione Spiritus fancti, de purgatorio, de beatorum felicitate, de primatu Romanæ ecclefiæ, aliifve nonnullis fidei dogmatibus, ritibus ac ceremoniis hætenus docuerant. Quæ difputationes de purgatorio & de Spiritus fancti proceffione, de additione vocis, Filioque, ad fymbolum facta, inter eos habitæ, quoque fructu abfolutæ fuerint, indicabit fubfequens feffionum fynodalium compendiofa defcriptio, quam hoc loco fubiunctam & expreffam habes. Qui quotve Græcorum errores.

Anno millefimo quadringentefimo trigefimo octauo, 4. Martii, Ioannes Palæologus, Iofephus patriarcha Ferrariam appulerunt: quos dum pontifex vna cum cardinalibus debito honore excepiffet, confilio Græcorum pontifex omnes epifcopos & principes ad Synodum inuitauit. De ordine & confelfu poft modicam difceptatiunculam conuenit inter eos, vt idem ordo qui in reliquis Conciliis œcumenicis feruatus eft, hic etiam obferuaretur. Sedibus ergo eo ordine collocatis, & facro codice euangeliorum in medio confelfus pofito, Ferrariæ in templo fancti Georgii 9. Aprilis conuenerunt, ibique de celebranda Synodo in primis patriarchæ Conftantinopolitani, & poftea Romani pontificis decretum recitari mandarunt. Quibus abfolutis, omniumque confelfu approbatis, vrferunt occidentales ad lucrum temporis faciendum vtile videri, fi medio tempore quod citatis abfentibus præfixum erat, priuatim de Spiritus fancti proceffione communicarent. Quod cum Græci propter Bafilienfium abfentiam facere recufarent, hoc tandem vtrimque placuit, vt interea temporis de purgatorio priuata collatio habeatur. Deputatis vtrimque collatoribus & duobus notariis, qualibet hebdomade bis in templo fancti Francifci conuenerunt. Prima collatio habita eft 4. Iunii. In hac Latini Seffionis primæ acta.

Concil. Tom. 33.

Pppp ij

An detur  
purgatoriū.

testimonio sancti Pauli i. ad Cor. cap. 3. asserunt, dari locum quemdam, quo animæ fidelium cum reatu leuioris peccati, vel etiam pœnæ, decedentes per ignem purgantur & saluantur. Cumque Græci de igne æterno locum Apostoli exponerent sic: *Ipse damnatus per ignem saluabitur, siue in igne semper saluus erit, & non consumetur*: replicarunt Latini, id nulla ratione affirmari posse, quoniam Paulus vtitur verbo (saluabitur) quod, vt ex scriptura demonstrarunt, nunquam aliter quam in bonam partem accipi consuevit. Cumque in sanctorum beatitudine conuenissent omnes, ingruente peste acceleratæ sunt sessiones, conuenitque vt sequente sessione ageretur, an vox ista, Filioque, licite & pie symbolo superaddita fuerit. Propter podagricum morbum pontificis, conuenerunt in palatio eiusdem pontificis, sedibusque ordine quo supra locatis, vtriusque sex designati sunt, qui quæstiones supra designatas impugnent & defendant. Cumque primæ sessionis, quæ habita fuit die Mercurii octauo mensis Octobris anni 1438. initium factum esset, e Græcis Bessarion primus orationem habuit, qua sacrosanctam Trinitatem totamque Synodum laudauit.

A 2a 1.  
Sessionis.

Secunda sessione, quæ habita est Ferrariæ 11. Octobris, Andreas Colossensis archiepiscopus, & Latinorum disputator constitutus, habuit eiusdem plane argumenti orationem: qua absoluta, conuentum est, vt Græci disputationem exordirentur, dialectice argumenta proponerent, de ea in primis quæstione, an symbolo quidquam addere liceat.

A 2a 3.  
Sessionis.

Tertia sessione celebrata 14. Octobris, Marcus Ephesius captata & impetrata patrum beneuolentia, ostendit, Christum pacem ecclesiæ reliquisse velut hereditatem, eamque a Romana ecclesia esse contemptam. Orientales rogatu occidentalium ad pacem reconciliandam accessisse, pacem non nisi schismate sublato componi posse, adeoque necessarium videri, vt decreta septem Conciliorum œcumenicorum (cur octauæ Synodi nulla mentio fiat, supra dixi) in hoc patrum confesso publice recitentur. Quibus cum Andreas Colossensis iterum respondisset, dixissetque Romanæ ecclesiæ nihil pace & concordia gratius extitisse, eamque nullum vnquam subsidium ad hæreses profligandas Græcis denegasse, Conciliis orientalibus omnibus Romanos pontifices per se vel per legatos suos interfuisse, pacem & concordiam non tantum per literas, sed etiam per legatos expetiuisse: Marcus Ephesius ea quæ dixerat Andreas, vera quidem, sed impertinentia esse concessit; cum pontifices causam schismaticis, factam nimirum additionem ad symbolum auferre noluerint, quam si sustulissent, statim pax & concordia subsecuta fuisset. Quæ cum Andreas iterum redarguisset, dixissetque antiquam illam esse Constantinopolitanorum accusationem, dicentium errasse Romanam ecclesiam, quod vocem, Filioque, propria auctoritate addidisset ad symbolum, cui nihil præter ea quæ a patribus antiquis olim constituta sunt, adiici deberet: denique circa finem concludendo allegasset, nullam additionem ab ecclesia factam



esse, eamque, si quæ facta foret, necessario fieri debuisse; finita est sessio tertia.

Quarta sessio inchoata est 15. Octobris, qua cum utrimque diu agitatum fuisset, vtra pars suam prius assertionem confirmaret; placuit omnium consensu, vt finita sessione quarta priuatim conueniatur, & de re proposita disputetur. Post multas igitur disceptationes Græcorum & Latinorum priuatim institutas, vnanimi consensu decretum est, vt nihil amplius agatur deinceps, nisi prius sanctorum patrum decreta & diuinum symbolum recitata fuerint.

Sessio 4. descriptio.

Quinta sessione 16. Octobris celebrata, recitatum est symbolum Nicænum, subiuncta est lectio symboli Ephesini, quo prohibetur, ne quis aliam fidem a Nicæno Concilio scribat aut profiteatur: idque ea intentione factum est ab illis, vt ostenderent illicitam esse & sacro Ephesino Concilio contrariam additionem, qua Latini ad symbolum vocem, *Filioque*, addiderunt. In quem finem etiam quædam testimonia Cyrilli & quarti Calchedonenfis Concilii symbolum recitari mandarunt, in cuius fine ista habentur: *Sancta generalis Synodus definit atque determinat, vt aliam fidem conscribere aut componere aut docere liceat nemini. Qui vero quidpiam tale commiserint, aut aliud commentitium symbolum ex gentilibus vel Iudæis aut hereticis ad nostram religionem venientibus tradere ausi fuerint, si clerici, priuentur: laici vero anathemate notentur.*

Sessio 5. descriptio.

Ad eiusdem assertionis confirmationem, ex quinto Concilio partem sermonis Ioannis Constantinopolitani episcopi, & literas Vigilii papæ; ex sexto Concilio decretum cum quadam epistola Agathonis, ex septima œcumenica Synodo Nicæna definitionem fidei ibidem promulgatam adduxerunt. Cumque Latini quemdam vetustissimum codicem, in quo scriptum erat, *sanctum Spiritum ex Patre Filioque procedere*, magna cum admiratione in medium attulissent, lectaque eiusdem fidei definitione codicem authenticum esse ostendissent, Marcus Ephesus ex recitatis supradictorum Conciliorum, pontificum & episcoporum de fide sententiis conclusit, nullam additionem ad symbolum appositam recipiendam esse; concessa interim Latinis ad hæc respondendi facultate.

Sexta sessione cum octauæ œcumenici Concilii volumen Iulianus a Græcis, prout priuatim promiserant, sibi commodato dari petiuisset, eoque dumtaxat sine impetrasset, vt exinde aliorum Conciliorum definitiones recitaret, nihil vero ex octaua Synodo, quam Græci schismatici reproabant, adduceret, atque paulo post quam codice prædicto vsus fuisset, eundem redderet; Andreas Colossensis episcopus Marci Ephesii assertionem supra recensitam impugnaturus, quatuor assertiones ponit, quarum duas hac, reliquas sequente sessione demonstrauit.

Sessio 6. descriptio.

Prior eiusdem Andree assertio hæc est: *Accessio vocis, Filioque, quam Græci additionem appellant, expositio est nominanda: eamque hoc syllogismo dialectico breuiter confirmat more: Nulla expositio vel dilucidatio alicuius artis aut scientiæ debet additio appellari; sed accessio*

I. assertio Colossensis.

vocis, Filioque, est expositio vocis, ex Patre: ergo accessio vocis, Filioque, non debet appellari additio. Maiorem probat hac ratione: *Omnis additio fit per extranea, quia expositiones ex intrinsicis rei principiis deducuntur & inferuntur: ergo nulla expositio est vel nominari potest additio.* Eandem maiorem confirmat absurdorum quorundam illatione, quod si nulla inter expositionem & additionem differentia constituitur, necessum sit fateri omnia posteriora Concilia illegitima esse: quia ipsius Gregorii Theologi testimonio, ipsaque rei euidencia constat, plura contineri in symbolis & fidei definitionibus posteriorum Conciliorum, quæ in Nicæno Concilio nequaquam scripta inveniuntur. Imo eiusdem Marci Ephesii confessione probat, quod non omnis expositio sit additio censenda, cum ipse libere profiteatur, Nicænum & Constantinopolitanum vnum esse symbolum, quia vnum eundemque symboli sensum seruarunt, etiam si verbis discrepent. Minorem primi syllogismi hoc argumento confirmat. Spiritus sanctus procedit ex Patre, vt conceditis: ergo etiam ex Filio; quia auctoritate scripturæ & sanctorum patrum testimonio, omnia bona essentialia Patris sunt bona Filii, iuxta illud Ioan. 17. *Mea omnia tua, & tua mea sunt.*

Assertio 2.  
Colossenf.  
episcopi.

Secunda assertio quam hac eadem sessione contra Græcos demonstravit idem Andreas Colossensis episcopus, ista est: *Additiones eiusmodi per quas exponitur fides, non sunt interdictæ.* Probat eam, quia huiusmodi additiones per Nicænum apostolico, per Ephesinum & Chalcedonense Nicæno accessere. Cum itaque dictum absurdum videatur, sanctissimos illos patres omnes anathematis sententiam incurrisse, absurdissimum quoque fuerit, nouissimi temporis ecclesiam iis limitibus circumscribere, vt ad fidem magis perspicue explicandam, & nouas hæreses impugnandas, ne vnum iota symbolo fidei adiicere liceat. Addit auctoritate sancti Apostoli 2. ad Corinth. cap. 3. *literam occidere, spiritum viuificare: ideoque exemplo Gregorii Nazianzeni scriptoris Græci, non tam literæ quam sensui literali standum videri.* Præterea non est illicitum, inquit, Græcis Græce, Latinis Latine vnum idemque symbolum recitare: ergo neque illicitum est diuersis verbis idem exponere, modo nihil fidei contrarium addatur.

Tertio, sicut non est illicitum ex principio philosophico latentes in eo conclusiones alias atque alias deducere; ita non potest videri alienum a fide, si quis ex principio theologico contentam obscurius in eo conclusionem euidenter eliciat.

Quarto, quod licuit pastoribus ecclesiæ primitiæ, apostolis nimirum, idem non est in concessum nostri & posteriorum sæculorum ordinariis pastoribus, quia Christus promisit, se omni tempore vsque ad mundi consummationem ecclesiæ affuturum: licuisse autem Apostolo ex generalibus fidei principiis alia dogmata inferre & exponere, probat eiusdem testimonio ad Ephes. cap. 4. vbi cum dixisset: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium: intulit alibi: Ergo & vna ecclesia.*

Quinto & ultimo ait: Si non liceret per expositionem aliquid ad dogmata fidei superaddere, nulla ratione hæreses impugnari & extirpari possent. Quare cum hac de causa Constantinopolitanum Nicæno, & posteriora Concilia prioribus fidei formulis aliquid per expositionem adiecerint, concludit contra Græcos, nulla ratione interdictas esse huiusmodi additiones syllabarum aut vocum, per quas fides non destruitur, sed contra hæreses defenditur, & acrius propugnatur; nulloque modo probari posse Latinam ecclesiam hac de causa anathematis sententiam incurrisse.

Septima sessio celebrata est 25. Octobris. Hac reliqua duo capitula ista, congruam fuisse illam vocis, *Filioque*, additionem, eamque ab omnibus fidelibus recipiendam esse, libenter quidem initio statim profecutus fuisset; sed impediuerant Græci, qui priuatim non satis apte effutiuerant, nihil ista ad suæ assertionis refutationem pertinere. Quare postpositis duorum istorum capitulum probationibus, hac sessione Græcorum rationes supra sessione allatas in primis refutauit, Nicæni Concilii recitationem nihil obstare dixit, utpote quod in eo de processione Spiritus sancti ex Filio nihil explicite contineatur, implicite vero non tantum Arii, verum etiam Macedonii & Nestorii hæresim impugnet. Ad auctoritatem Concilii Ephesini, sicut etiam epistolam Cyrilli, respondit, per ea nihil aliud prohiberi, quam ut diuersa fides noua non componatur, scribatur aut proferatur. Cum itaque vnus religionis sit, credere Spiritum sanctum procedere ex Filio, quem ex Patre procedere profiteamur, per hoc nihil dogmatis noui ad fidem additur, sed tantum obscurior articulus fidei explicatur. Similiter respondit ad verba definitionis fidei in Concilio Calchedonensi promulgatæ, videlicet interdictam esse immutationem sensus, non verborum quibus dogmata implicita magis exponuntur: eamque suam responsionem hoc simili illustrauit: Sacrosanctum euangelium perfectissimam doctrinam fidei nostræ continet, & tamen Græcis & Latinis patribus & doctoribus illud exponere licuit: imo cum Arius ex illo scripturæ, *Pater maior me est*, concluderet Dei Filium creaturam esse; non tantum licitum, sed & necessarium erat, ut patres Concilii declararent, qua ratione Pater maior Filio, quæ eadem æqualis esset. Eadem est necessitas, quoties noua exoritur hæresis.

Ad id, quod dicebat Ephesus, symbolum perfectum esse, adeoque nihil illi addi debuisse: respondit illud fuisse perfectum quoad veritatem & fidem, non autem quoad notionem. Omnia dogmata fidei in symbolo explicite vel implicite continentur: ut vero ea quæ implicite continentur, omnibus fidelibus innotescant, opus est dilucida expositione & explanatione. Similiter responsum est ad verba quinti Concilii & epistolam Vigilii. Responsuris ad sexti Concilii definitionem, orta est quædam controuersia de varietate lectionis. Nam sexti Concilii acta, quæ proferebantur a Latinis, habebant, *Deum de Deo*, &, *de calis*: quæ apud acta Concilii Constantiensis, Ephesini & Calchedonensis, non reperiuntur. Vnde Latini Græcos confu-

Sessio VII.

Respondetur rationibus & argumentis ab Epheso allatis.

tarunt, non esse alienum a ratione, vt post Ephesinum & Calchedonenſe Concilium Conſtantinopolitano ſymbolo aliqua vox, quæ fidei non aduerſatur, addita fuerit. Poſtquam ergo Andreas & Iulius cardinalis oſtendiſſent, definitionem ſexti Concilii multo minus quam literas Agathonis papæ huic expoſitioni Latinorum obſtare, formulam fidei in Nicæno Concilio ſecundo recitatam pro ſe allegarunt, vtpote cum in ea apertis verbis contineatur, Spiritum ſanctum a *Patre Filioque* procedere. Ad id vero, cur in Calchedonenſi Concilio patres prohibuerint verbum *Deiſparam* ad ſymbolum apponi, reſpondet id factum eſſe ideo, quia non erat neceſſaria additio eius vocis, quæ pluribus aliis ſymboli verbis aperte continebatur, vel ſaltem ſatis expreſſe intelligebatur. His peractis concludit Andreas, nihil aliud a Græcis probatum eſſe, quam quod diuino ſymbolo nouam fidem addere non liceat.

Poſt hæc tranſit ad probationem quarti capitis ſupradiſti, quod nimirum Romanæ eccleſiæ eamdem particulam explicite ad ſymbolum addere licuerit, ideo quod Spiritum ſanctum ex *Patre Filioque* procedere cum ſancto Auguſtino, Gregorio, Hilario, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Athanaſio, omnes fere patres doceant, idemque plures hiſtorici ſcribant & aperte profiteantur.

Hac de cauſa cum imperator dubitaret, num in Synodo hiſtoris ſtandum eſſet: Andreas reſpondit, eccleſiaſticis hiſtoris iure meritoque fidem haberi. Quo diſto pergit probare quod cœperat, nimirum licite & conuenienter a Romana eccleſia particulam, *Ex Filioque*, declarationis cauſa ſymbolo additam fuiſſe, etiamſi eadem ſine Græcis, quod illi omiſſum accuſabant, huius rei cauſa Concilium congregaſſet. Nam ſicut nullum Concilium, Græcis auctoriſibus aſſentantibus, ratum eſt & approbatum, quod citra conſenſum ſedis apoſtolice celebratum eſt, maxime ſi œcumenicum fuerit: ita contra firmum & ſtabile ait eſſe ſynodale decretum, quod auctoriſitate apoſtolice congregatum eſt & approbatum; ſiue orientales & occidentales ſimul, ſiue etiam alterutri tantum epiſcopi, plures aut pauciores interfuiſſent. Pontificis enim auctoriſitas aſſentium ſupplet poteſtatem, vt conſtat teſtimonio Stephani doctoris Græci, vbi eos qui iniuſſu pontificis, aut eius vicarii, Concilium celebrare volebant, vehementer increpat. Inde cum intuliſſet Andreas Romanam eccleſiam minime argui poſſe, quod Græcis inconſultis ſymbolum ſic declararit; idque ſancti Maximi auctoriſitate, aſſerentis Romanam eccleſiam immerito ab orientalibus accuſari, comprobaret: Nicolaus Græcorum interpres aſſerebat, diſtum illud apud ſanctum Maximum ſuppoſititium eſſe: Andreas vero illo poſito non conſeſſo, reſpondit optime demonſtratum eſſe, quod nequaquam Græcis ignorantibus Romana eccleſia controuerſam particulam *Filioque* Synodo appoſuerit, vtpote cuius non tantum in ſexta œcumenica, verum etiam in ſeptima Nicæna Synodo expreſſa mentio inueniatur.

Addit Tarasium Conſtantinopolitanum patriarcham actione, in  
Conci-

Romana  
eccleſia  
licite  
addidit  
ad ſym-  
bolum  
vocem  
Filioque.

Concilio Nicæno secundo professum fuisse Spiritum sanctum ex Patre per Filium, id est, ex Filio procedere. Quod si a Tarasio recte factum asseratur, cur non idem Romanæ ecclesiæ licuerit? Repetit deinde quod supra dixerat, apud acta Concilii Nicæni secundi expressè legi, quod Spiritus sanctus ex *Patre Filioque* procedat.

Post hæc certissimo ait argumento indicare & ostendere innocentiam Romanæ ecclesiæ illud, quod Photius eiusdem ecclesiæ acerrimus inimicus nullam de additione ad symbolum facta mentionem habens, Nicolao & Hadriano nihil aliud obiecerit, quam quod præuaricatores essent anathemate condemnati, quodque tempore Iustiniani imperatoris Ioannes Constantinopolitanus episcopus eam epistolam Hormisdæ suscepisset, qua ille Spiritum sanctum a *Patre Filioque* procedentem confitetur. Octauam œcumenicam Synodum, quod Ephesius aiebat, subsequente Concilio œcumenico aliquo legitimo reprobata, atque in eodem Ioannem Romanum pontificem abdicatum, hancque partem a symbolo relegatam fuisse negat, eo fretus argumento, quod cum summis pontificibus & Romanæ ecclesiæ illi decreto nequaquam obtemperantibus hucusque communicauerint. His dictis conclusi, quod hæctenus probauerat, explanationem illam symboli a Romana ecclesia licite & necessario peractam esse. Iulianus ad confirmandum ea quæ Colossensis de potestate Romani pontificis circa fidei declarationem produxerat, literas Agathonis papæ legi mandauit, quibus expressis verbis indicatur, quod Romani pontificis sit ambigua fidei dogmata explicare, atque explicata tueri ac defendere.

Octaua sessione quæ habita est Kalendis Nouembris, Bessarion Nicænus orator facundissimus partes Græcorum defensurus, ea quæ præcedentibus sessionibus duabus copiose disseruerat, repetit, & postquam ad singula capita quatuor generatim negando & inficiando respondisset, redit ad primum; resumproque toto syllogismo illo, quem supra enarraui, respondet maiorem, concessa minore, negando: nimirum quod nulla expositio ab extraneis principiis desumi possit. Imo, inquit, hæc expositio de qua controuertitur, ab extraneis desumpta est. Cum illa enuntiatio, Omnia bona essentialia Patris sunt Filii, huic conclusioni, Ergo Spiritus sanctus ex Filio procedit, sit plane extrinseca; maxime ideo, quod vox *Filioque* non tantum extranea, verum etiam Patri re significata similis, voce autem dissimilis sit. Quisquis igitur ea ratione per appositionem vocis *Filioque* symbolum declarat, ille eidem symbolo contra prohibitionem Ephesini Concilii additionem apponit. Ad reliquas probationes quatuor, quibus Colossensis confirmabat licitum & necessarium esse, ut symbolo declarationis quædam apponantur, respondit declarationes fidei semper concessas fuisse, atque etiamnum concedi, imo vero etiam patribus Nicæni & Constantinopolitani Concilii licuisse, ut fidem declaratam symbolo adiicerent: sed cum eorum exemplo posteriores abuterentur, variæque fidei formulæ conscriberentur, sacrosancta Synodus Ephesina definiuit, licere quidem controuersos

Sessionis 8. descriptio, qua Bessarion ad argumenta Andreæ Colossens. respondet.

Concil. Tom. 33.

Q999

fidei articulos explicare & interpretari: factam vero explicationem nequaquam symbolo superaddere licere. Hanc suam ille responsionem confirmabat duplici ratione, quarum prior est. Ephesina Synodus additionem prohibuit diuersam ab illa, quæ interdicta fuerat duabus anterioribus. Quare cum illæ mandauerint, ne quid contra fidem a se traditam & expositam adderetur, haud dubio tertia Synodo Ephesina interdictum erat, ne simpliciter vlla vocum mutatio vel additio ad symbolum adiceretur.

Posterior ratio est. Ephesina Synodus vocem, Deiparam, quantumuis pro fidei dogmate contra Nestorium explicando necessaria esset, plurimisque verbis symboli implicita contineretur, superaddere recusauit. Præterea ea quæ de duabus naturis in Christi persona inconfuse existentibus, duarumque voluntatum operationibus contra Nestorium, Eutycheten & Monothelitas, Ephesino, Chalcedonenfi & sexto œcumenico Concilio fidei expositiones sunt, quæ in ipso symbolo implicite continentur: & tamen nihil horum ad publicam fidei professionem Nicænam superadditum fuit.

Ad auctoritatem Gregorii aliorumque patrum responderet, eos fidem declarasse, nequaquam vero suo additamento auxisse. Si quitamen id ante prohibitionem Ephesinæ Synodi fecerunt, nullum per hoc suæ assertioni præiudicium generari.

His dictis submittens sese in controuersiæ decisionem ait, quod si Latini probauerint, post Ephesinum Concilium aliquam dictionem vel syllabam symbolo superadditam fuisse, parati sint ipsi in Latinorum sententiam descendere. Ad Gregorium cognomento Theologum, syllabarum dictionumque rationem non esse habendam asserentem, respondit, illum locutum esse de vocibus synonymis, quales sunt persona & hypostasis, vestis & indumentum: hic vero controuerti de vocibus *Patre & Filio*, diuersum plane significantibus.

Ad id quod allegabat Andreas, vnum idemque symbolum licite Græco & Latino idiomate efferri & cantari, adeoque non illicite Latinos profiteri Spiritum sanctum *ex Patre Filioque* procedentem, utpote quæ voces duæ sunt vnum, Spiritus sancti principium significantes: respondit verum esse antecedens, quia voces illæ sint signa eiusdem rei: consequens autem suo iudicio falsum esse, quia Pater & Filius voces diuersæ sunt, resque plane diuersas significant. Addit, etiamsi rem vnã significarent, nequaquam propter prohibitionem Synodo inferendas fuisse.

Ad id quod de principiis eorumve consequentiis e principio deductis allegatum est, respondit in primis gratum fore, si probetur, controuersam conclusionem ex prædicto principio vere & recte inferri posse. Et quamquam id probatum foret, tamen eam doctrinam symbolo non magis esse adscribendam contendit, quam demonstratiua conclusio est addenda eiusdem demonstratiui syllogismi principiis. Addit, sicut nequaquam ex sacra scriptura deductas fidei consequentias ipsi scripturæ inferere licet; ita symbolo, quod est vnum ex theologis principiis, nequaquam addere licere eam expositionem,

quæ ex eiusdem verbis est illata. Ecclesiam, quod supra dicebatur, vnam & eandem, parique potestate præditam semper fuisse fateatur, cum ea tamen limitatione, quod anteriorum Conciliorum decreta obseruare & non euertere debeat: nam si aliter ageret, seipsam destrueret. Addit, quia de exponendis fidei articulis ab ecclesia nulla facta esset prohibitio non minus cuilibet fidelium, quam Agathonis, Cyrillo aut Sophronio sacræ scripturæ interpretationem esse concessam. Ad extremum contra responsiones Andreæ Colossensis ad argumenta Marci Ephesii sessione superiori factas replicauit: In primis Nicænæ Synodi symbolum fuisse recitatum, quia vnum idemque censetur cum Constantinopolitano, cui ne deinceps aliquid apponeretur in Ephesino Concilio interdictum fuit. Secundo ait, vocum & syllabarum rationem non esse admodum curandam, si post factam prohibitionem ad symbolum non addantur.

Sessio nona celebrata est Ferrariæ 4. Nouembris, in qua Bessarion Sessio IX. ad sex puncta ab Andrea superiore sessione allata respondit. Ad primum respondens dicebat falsum esse illud Cyrilli, quod Fidem euitare & Fidem declarare diuersa significant. Ad secundum dixit, etiam si interdictum post decreta promulgatum fuisset, nihilo minus ipsum tenere, cum patres tertiæ Synodi de singulis symboli partibus differerint.

Ad tertium & quartum ait, Agathonem pontificem dictiones eas tantum prohibuisse, quæ res a fide diuersas significant, eundemque virum sanctissimum ad fidem suam exponendam symbolo quædam addidisse, quædam detraxisse negat; sed potius quoduis additionis genus prohibens decreta in nullo immutari, augeri vel minui; omniaque in verbis & intelligentia eadem relinqui voluisse: exponere tamen symboli partes haud vetuisse, ne doctoribus materia laborandi deesset; sed communem tradi doctrinam vel traditæ syllabam aliquam mutari prohibuisse; ac propterea studiose verbo *Mutatatur* vsum esse.

Ad quintum respondit, vocem *Deipara*, ad symbolum declarandum necessariam fuisse, quia actis Synodi inserta habetur. Cumque eadem, etiam si ad declarandam fidem necessaria foret, auctoritate Concilii symbolo addita non fuerit, argumentum suum verum esse & bene contra additionem illicite factam procedere concludit.

Ad sextum respondet, falsum esse quod Romana ecclesia sanctorum patrum vocibus mota, aut necessitate coacta, eam additionem iure suo fecerit: imo nulla necessitate cogente eam id facere potuisse vrgebat, cum decreta Synodi nullo casu necessitatis id fieri posse concedant, etiam si sedis Romanæ prærogatiuæ nihil adimatur.

Quibus absolutis prædictus Bessarion quæsiuit, quomodo sanctorum patrum interdictum intelligerent, an ad symbolum vel aliud referrent. Ad quod præsul Colossensis volens respondere, longam de processione Spiritus sancti orationem habuit. Quam ad propositum spectare negantes, neque calamum neque aures eidem præbuere.

Sessio X.

Sessio X. celebrata est Ferrariæ die Sabbati 8. Nouembris. In hac, repetitis iis quæ supra gesta fuerant, Ioannes prouincialis Latinorum disputator ostendit, additionem illam particularum, *ex Filioque*, nulla ratione prohibitam, sed potius licitam esse declarationem: tum quod euangelium legis veteris sit declaratio, etiamsi potestate a vetere contineatur; tum etiam quod ecclesia omni tempore controuersias circa fidem exortas hæcenus definiuerit, & obscura exposuerit.

Tria genera additionis sunt, quorum tertium licitum esse probat.

Vt ostendat huiusmodi additionem veritam non esse, additionis tria genera distinguit: quorum primum est, cum additamentum rei additæ opponitur; vt si Deum Patrem quis dixerit esse genitum: alterum, quod a re cui opponitur tantum diuersum est; vt si Deum Patrem quis dixerit geometram: tertium, cum vtrumque est congruum: vt si Filius dicatur Patri consubstantialis.

Primum genus additionis hæreticum; secundum ineptum, tertium pium & religioni declarandæ vtilissimum esse ait. Cum igitur illa particula, *Ex Patre*, in apostolorum symbolo potestate prius contenta, ad retundendos hæreticos a patribus Constantinopolitani primi Concilii addita, adhuc quodammodo ambigua videretur, particulam, *Ex Filioque*, posterioris sæculi patres symbolo apposuerunt, vt totum illum articulum clarissime explicarent.

Quod vero aiebat Bessarion primitiæ ecclesiæ patres scripturæ declarandæ, symbolique augendi habuisse potestatem, quæ posterioris sæculi ecclesiæ propter abusum adempta fuit, Ioannes omnino negauit: quoniam interdicto Conciliorum Ephesini & Calchedonenfis illi dumtaxat contineantur & includantur, qui addendo vel mutando ecclesiam euertere student: addidit ecclesiæ legitime conuocatæ nunquam addendi facultatem præreptam esse, vbi hæreseos periculum & necessitas ipsa eandem requirunt.

Concludit igitur, Romanam ecclesiam particulam, *Ex Filioque*, non addidisse, vt symbolum Constantinopolitanum fidemque ipsam euerteret; sed vt Nicænum & Constantinopolitanum idem esse idemque significare declararet.

Sessio  
XI. descriptio.

Sessio XI. habita Ferrariæ vndecimo Nouembris. In ea Iulianus cardinalis pro parte Romanæ ecclesiæ in gratiam simplicium superiora clarius explicat & repetit, primosque interdicti auctores Anastasium & Photium Nestorianos hæreticos fuisse dicit, qui aliud symbolum fidei proferentes, & Iacobum quemdam ad hæresin disseminandam emittentes, plurimos deceperunt. Econtra vero Charisium, vt se orthodoxum probaret, in primis symbolum suum, quod neque Nicænum neque Constantinopolitanum esse constabat, cum Spiritum Patri & Filio consubstantialem posuisset, in publica Synodo recitasse ostendit; ac tum demum synodali decreto sanxisse, ne cui aliam fidem proferre aut docere liceret; simulque confictum illud Nestorianorum symbolum, nulla prorsus Charisii mentione facta condemnasse.

Vnde, si mens Concilii fuisset, quæcumque aliam a Nicæna fidei



professionem interdiceret, Charisii quoque symbolum & expositio hic damnata fuisset. Synodus enim contraria scriptis vel verbis proferre vetuit; expositionem nequaquam interdixit, cum & alias Deum æternum, infinitaque alia credere, anathema foret, quæ sub symbolo non continentur; omnesque fere Christiani anathemate notarentur, si Synodus quoduis expositionis genus prohibuisset.

Dehinc literas Agathonis ad Synodum missas, non ab ipso solo, sed ab occidentali ecclesia, Synodo 125. occidentalium præfulum conuocata, scriptas fuisse censet.

Bessarioni respondens ait, quod si nullo casu necessitatis liceret symbolum exponere, patres Concilii Constantinopolitani primi, & sexti œcumenici grauiter deliquissent, quod illi ad Nicænum Concilium plurima addidissent, hi vero suas quas ediderant constitutiones tantum euerit prohibuissent. Contra vero, vt probet additionem declarationis causa factam non esse illicitam, duplici vsus est exemplo; altero Leonis papæ: altero autem Flauiani Constantinopolitani episcopi.

Qui cum in Concilio Calchedonensi accusati fuissent, quasi contra prohibitionem Synodi Ephesinæ egissent, eo ipso quod noua fidei dogmata explicatius docerent, & contra hæresiarchas defenderent, auctoritate eiusdem Concilii Calchedonensis iuste meritoque absoluti fuerunt, vtpote qui suo additamento non tam symbolum eueritissent, quam distinctius contra hæreses proposuissent. Quare si talem declarationem symbolo alicui nouo addentes Leo & Flauianus auctoritate Calchedonensis Concilii non sunt condemnati, euidentissimo argumento concluditur quod Ephesina Synodus non omnem additionem quæ fit exponendo & declarando; sed eam dumtaxat quæ fidei dogmata euerit, sua constitutione prohibuerit.

Sessio XII. Veneris 15. Nouembris celebrata, Marcus Ephesus tres ob causas Nestorianos in Synodo damnatos & a Charisio accusatos asserit. Quarum prima est, quod suum symbolum ad instar Nicæni docuerint: secunda, quod in eo dogmata falsa multa extiterint: tertia, quod Nestoriani Charisium grauissimo odio persecuentes, quia ab illorum hæresi defecisset, illi necessitatem impouerint vt fidem suam exponeret, seque Nicæno Concilio assentiri declararet. Quod factum Charisii non modo non fuit illicitum, sed etiam plurimorum patrum exemplo comprobatum.

Ad hæc Iulianus respondens, secundam causam concedit, primam & tertiam inficiatur; acceptatque quod de Sophronii & Agathonis papæ expositionibus fidei tempore sexti Concilii licite factis ingerit. Quæritus deinde Marcus vtrum Agatho, Sophronius & Charisius, qui pro fide explananda scripserunt, interdicto subiacerent? Respondit, quod in ipsum interdictum nihil commiserint. Vnde Iulianus inferens dicebat: Si Charisius hac in re nihil contra interdictum fecit, nequaquam Romano pontifici vniuersalis ecclesiæ curam gerenti illicitum erit aliquid superaddere, quod ad fidem

Non omnem additionem ad symbolum factam illicitam esse firmissimo argumento probatur.

Sessio XII. descriptio.

explanandam pertinet, addiditque si Nestorianum symbolum catholicum fuisset, instar illius quod Charisius & Agatho conscripserant, suscipiendum fuisse.

Quærentique iterum Marco an Nestoriani suum symbolum ita tradere potuerint, vt baptizandi illud profiteri deberent, Iulianus respondit, nemini hominum licere sic proprium symbolum proferre, vt omnis ecclesia ad id celebrandum teneatur, conceditque Nestorianos potuisse verum symbolum exponere, eo vti, idemque proferre ac sapere; quatenus verum fuisset: at communiter eodem in Conciliis vti nequaquam licuisse. Cumque Marcus Ephesius illud suo instituto fauere dixisset, nimirum ideo damnatos esse Nestorianos, quod suum symbolum velut Nicænum obtrussissent, ideoque omnis deinceps augendi, immutandi, vel etiam explanandi licentia adempta esset, idque auctoritate Cyrilli probare conatus fuisset, Iulianus illi contradicens aiebat Cyrillum pro sua sententia stare, si quidem per aliam fidem intelligat dumtaxat fidem contrariam, expositiones fidei admittat, contrarias additiones expressè prohibeat. In cuius rei confirmationem iussu cardinalis Iuliani recitata est expositio fidei a Cyrillo conscripta, quæ de Nestorianis illud aperte profitetur, eos non alia de causa, quam quod fidem Nicæno symbolo contrariam docuissent, condemnatos esse.

His peractis, iisque quæ de additione vel explanatione facienda vel omittenda superioribus sessionibus dicta fuerunt breuiter repetitis, institit Iulianus, vt his deinceps omiſſis ad principalem quæstionem de Spiritus sancti processione transeat, an nimirum Spiritus sanctus a Patre tantum, veta Patre simul & Filio procedat. Nam illa controuersia composita facile futurum promittebat, vt de potestate addendi conueniretur.

*Sess. XIII.* Sessio XIII. habita est 27. Nouembris, in qua cum oratores ducis Burgundiæ, in synodalem Confessum intromissi, pontificem dumtaxat debito more salutassent, offensus hac de causa imperator Ferraria discessisset, si non proxima sessione iidem oratores imperatorem debito honore & cultu prosecuti fuissent.

*Sessio XIV.* Sessione XIV. quarto die mensis Decembris celebrata, oratores ad Synodum intromissi imperatorem salutarunt. Ephesius allegans Charisii exemplum impertinenter adductum esse, petiit vt omiſſis prolixioribus sermonibus simpliciter res proponatur, & ad quæstionem per affirmationem aut negationem simpliciter respondeatur. Iulianus tam proluxa oratione contradixit, vt fere dies potius quam oratio dicentem deficeret.

*Sessio XV. de processione Spiritus sancti ex Filio cœptū est agi.*

Sessione XV. quæ habita est 8. Decembris, orationem de nulla additione ad symbolum facienda prolixiorē ab Ephesio recitatam, magna omnium admiratione Iulianus resumpsit, & in 28. partes distributam refutauit. Cumque Ephesius Iuliani, Iulianus vicissim Ephesii orationem ad tædium vsque resumpsisset & refellisset, ne Synodus sine fructu dissolueretur, egit Iulianus, vt ostenderent Græci impium esse dogma Latinorum de processione Spiritus sancti: quod

si facerent, futurum aiebat, vt non tantum e symbolo vox *Filioque*, verum etiam vndequaue eximeretur. Cumque Ephesius prius vocem *Filioque* a symbolo relegendam institisset, imperator interlocutus obtinuit, vt controuersia de additione vocis *Filioque* omitta, de processione Spiritus sancti agatur, idque teneatur, quod duodecim præsidiis vtriusque hanc ad rem deputatis, hac de causa priuato colloquio acturis visum fuerit.

Sessione XVI. decretum de sacrosancta Synodo ob pestem ingrauescentem Ferraria Florentiam transferenda, recitatum est & approbatum sub illa conditione, vt pontifex orientalibus de alimentis & vitæ necessariis interim prouideat. Quod cum ille futurum in se recepisset, pontificem vna cum cardinalibus & Latinis præsulibus præeuntem imperator cum patriarcha alijsve orientalibus subsecutus est, magnoque honore ab iisdem exceptus fuit.

Sessio  
XVI. Syno-  
dus ob pes-  
stem trans-  
fertur Flo-  
rentiam.

Sessio XVII. habita est Florentiæ anno Domini 1439. vigesimo sexto Februarii, qua post diuturnum dialogismum Iuliani cardinalis & imperatoris conclusum est, vt Græci inter se priuatim conferant de modo inuendæ concordiæ & vnionis, eumque proxima sessione in medium afferant: cumque imperator vellent priuatos deligi disputatores, qui de processione Spiritus sancti cum Latinis disputarent, idque pontifici displiceret, indicta est sessio XVIII.

Sess. XVII.

Sessio XVIII. quæ secundo Martii habita est Florentiæ anno

Sess. XVIII.

1439. In hac Ioannes Latinorum orator prælocutus dixit, principio sacram scripturam in eo sensu accipiendam esse, quo sancti patres eam semper acceperunt. Quod cum dixisset, ipsumque nomen *processionis* æquiuocum esset, pluraque in scriptura significaret, petiuit qua acceptione Græci illam vocem in diuinis accipiendam esse sentirent. Respondit Ephesius illam vocari in diuinis processionem soli Spiritui sancto appropriatam, qua Spiritus sanctus accipit esse ex Patre. Quo responso habito, Ioannes sic contra Ephesium est ratiocinatus: Ex quo Spiritus sanctus accipit esse, ab eodem secundum tuam responsionem procedit: ex Filio Spiritus sanctus accipit esse: ergo ex Filio Spiritus sanctus procedit. Minorem ab Ephesio negatam probauit in primis auctoritate sancti Epiphani, qui in sermone Ancorato profitetur, Spiritum sanctum ex vtroque esse, & consequenter ab vtroque procedere. Paulo post idem confirmat testimonio Basilii. Addit eundem ex vtroque tamquam ex vno principio procedere. Cumque Ephesius hæc non tam solueret, quam contra argumentando declinaret, obiiceretque illud Basilii: *Ex ipso* (nimirum Patre) *autem Spiritus, & non aliunde*: respondit Ioannes, Basilium ista contra Eunomium profitentem Spiritum sanctum creaturam esse, protulisse, sensumque verborum hunc esse: Non aliunde, id est, non est alterius substantiæ vel naturæ. His dictis vsit responsionem ad auctoritatem Epiphani & Basilii: quærentique Ephesio, an diuina substantia & persona idem sint; & an Patris persona, vel potius eius substantia generet: respondit ad primam quæstionem, personam & substantiam non re, sed ratione distingui. Ad secundam

Processio  
quid.

Ioannes  
probat Spi-  
ritum san-  
ctum ex Fi-  
lio proce-  
dere.

Contro-  
ueritur de  
loco Basilii.

dixit, personam esse principium quod generat, quia actiones iuxta philosophorum sententiam suppositorum esse dicuntur: naturam vero siue substantiam esse principium quo Pater generat Filium. Cumque his dictis iterum vtriusque responsionem ad auctoritatem Epiphani, & Ephesius respondisset, verbum est apud Epiphanium non inueniri: ille contra euidenter demonstrauit, necessario subintelligi debere. Idque Ephesius paulo post confessus, exegit meliorem testimonii illius quod ex Basilio produxerat, interpretationem. Virgebat enim particulam hanc *non aliunde* exponendam esse de persona Filii. Nam si de natura & substantia explicari deberet, etiam præcedens dictio *ex Patre*, non de persona, sed de natura Patris explicanda esset. Quo posito, addit non recte inferri ex Epiphanio; Spiritus sanctus procedit ab utroque, id est vtriusque natura, aut etiam ex vtriusque persona: sed potius ideo dicitur ex utroque procedere, quia vtrique est consubstantialis. His dictis & a Ioanne repetitis, finita est sessio 18.

Sess. XIX.

Sessio XIX. celebrata est Florentiæ quinta Martii, anno 1439. in qua Ioannes expositionem Basili ab Ephesio allatam inconuenientem esse probauit eo argumento, quod idem Basilius aduersus Eunomium scribens dicat, Spiritum sanctum ex Filio esse habere; adeoque secundum ea quæ supra dicta sunt, ex Filio procedere; & consequenter (quod credi non potest) duo contraria scripsisse, si particula, *non aliunde*, de persona Filii accipienda foret. Cumque hac de causa Basilius recitari mandasset, Ephesius tria dixit. Primo Basilius contra hæreticos demonstrare sanctum Spiritum Patri Filioque consubstantialem esse. Secundo non fuisse illi necessarium, an Pater vel Filius sit causa Spiritus sancti. Tertio eundem ostendisse, Spiritum sanctum ex Patris, & non ex alia substantia esse. Ad hæc respondens Ioannes primam partem concedit, reliqua probari petit. Cumque ille ex concessis a parte aduersa suam sententiam probare frustra conaretur, quæsiuit tandem, an bona sit ista illatio: Spiritus sanctus est ex substantia Patris & Filii; ergo ex vtriusque persona procedit. Respondit Ioannes quod supra dixerat, actiones esse suppositorum. Cum ergo Pater non aliter quam generando communicet substantiam suam Filio, spirando autem communicet eandem substantiam Spiritui sancto, Patrem & Filium vnum esse principium spirationis: quia inter Patrem & Filium, quatenus spirant Spiritum sanctum, nulla est relatiua oppositio. Ad exemplum Iacobi Iosephum generantis, respondit illud longe diuersum esse, quia natura per generationem humanam communicata, non est eadem numero in generante & genito: in diuinis vero eadem numero natura communicatur a Patre per generationem Filio, a Patre & Filio per spirationem Spiritui sancto. Cumque hinc Ephesius quæsiuisset, an & qua ratione Pater & Filius causa Spiritus sancti dici possent, & Ioannes alia testimonia patrum pro sua sententia confirmanda afferre voluisset, petiuit qua ratione dixerit, Spiritum sanctum a communi natura Patris & Filii procedere, cum fateatur

fateatur in humanis falsum esse, filium a natura abstracte sumpta produci. Ista occasione Ioannes respondens dixit, nomen substantiæ dupliciter accipi: vno modo pro natura, altero modo pro hypostasi, substantia & personalitate. Hac distinctione præmissa subtilissime & doctissime ostendit, qua ratione Spiritus sanctus ex substantia Patris & Filii dicatur procedere.

Sessio XX. habita est 7. Martii. Iussu Ephesii locus Basilii, vbi Sessio XX. agit de ordine inter Patrem, Filium & Spiritum sanctum, lectus est: quem ipse ab aliquo Latinorum sententiam tuente corruptum aiebat, idque collatione librorum ostendere paratus erat. Ioannes contra corruptelam negavit, idque ex collatione anteriorum & subsequen- tium verborum, aliorumque codicum demonstrari optabat: Græcisq; peculiare esse probabat, quod ad hæreses suas confirmandas codices corrupissent. Contra Marcus Ephesius dicebat id a Latinis corruptum esse, quod Ioannes paulo post negavit; cum tempore illo, quo scriptus erat iste codex, nulla inter Græcos & Latinos contro- uersia fuerit. Verius igitur esse inquit, quod cum Græci schismatici errorem suum defendere non possent, nisi Basilium multis in locis corrupissent, huius corruptelæ auctores extitissent.

Secundo dicebat Marcus Zosimum pontificem ad Carthaginen- se Concilium scripsisse, & per quoddam Nicænæ Synodi decretum demonstrasse, Romanum pontificem œcumenicum appellandum esse: factaque inquisitione, nihil tale apud acta Concilii Nicæni in- uentum esse. Ioannes optime respondit Ephesio, acta Nicæni Con- cillii in oriente ab hæreticis corrupta, deprauata & mutilata exti- tisse, prout ex literis Athanasii ad Iulium, Liberium, aliosve pon- tifices scriptis constare ait; adeoque mirum non esse, quod orienta- les Canonem quoddam Nicæni Concilii a pontificibus allegatos igno- rauerint.

Post hæc transferunt ad explicationem huius apud Basilium loci: *Filio Spiritus adaptatur*: quem a Marco de ordine tantum male ex- positum esse, Ioannes doctissime demonstravit. Circa finem ostendit, quod negauerat Ephesius, Basilium credidisse, Spiritum sanctum ordine ac dignitate tertium esse.

Sessione XXI. Ephesius prolixiore oratione quam inter ipsos Sessio XXI. conuenerat, primo Ioannem sessione præcedenti de Basilii doctrina differentem reprehendit, quod ad testimonium quoddam pro expli- catione Basilii allatum, verbum, est, addidisset. Deinde testimonium illud Athanasii, *talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem*, male, vt Ioannes ostendit, explicauit. Ter- tio de temporalis personarum processione siue missione agens, con- cessit Spiritum sanctum etiam a Filio temporaliter missum. Inde cum Ioannes conclusisset, Spiritum sanctum etiam æternaliter a Filio procedere, tria deinceps demonstravit. Primum, auctoritate Basili- i Spiritum sanctum a Filio esse accipere. Secundo magno vitio verti ipsi Basilio, si supra allatum testimonium legatur & expona- tur, sicut habebat codex Græcorum. Tertio eundem Basilium de

Concil. Tom. 33.

R r r r

Spiritu sancto non aliter sensisse, quam in codice Latinorum scriptum erat.

Ses. XXII.

Sessione XXII. Florentiæ celebrata, Sabbati 14. Martii, Ephesius explicationem auctoritatis ex sancto Basilio petitiæ refutat. Ioannes enim prouincialis verba Basilio hæc, *Non enim a Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum a Filio Spiritus*, sic explicauerat: Spiritus diuinitatem a Filio & consequenter esse accipit, quale nos non accipimus. Negat eam explicationem Ephesius ea de causa, quod grammaticis præceptis repugnet.

An Pater  
& Filius  
sint vnum  
principium  
Spiritus  
sancti.

Hac deinceps controuersia omissa Ephesius intulit: Si Spiritus procedit ex Patre & Filio, ergo Pater & Filius sunt duo diuersa principia & causæ Spiritus sancti. quod dictum absurdum est. Respondet Ioannes consequentiam negando, cum Spiritus sanctus referatur ad Patrem, non quatenus Pater est; neque ad Filium, quatenus est Filius; sed ad vtrumque, quatenus sunt spiratores. Quare cum vnica potentia spirandi spirent & producant Spiritum sanctum, necessum esse fateri, Patrem & Filium spirationis vnicum principium constituere.

Post hæc confirmauit id quod præcedente sessione attigerat, Græcorum codicem corruptum esse, quia non conueniret credere Basilium circa sancti Spiritus processionem dubitasse, ac verbo *for- san* in hoc dicto, *For san pietatis ratio tradit*, vsu fuisse. Cumque illud duplici argumento confirmasset, ad distinctum enarrandum, quid Basilium de natura Spiritus sancti senserit, & quare contra Eunomium hæreticum scribens Basilium dixerit de eo, *sanctorum simulat conseruare doctrinam*, maximam partem libri tertii exponit.

Ses. XXIII.

Sessione XXIII. quæ celebrata fuit 17. Martii, anno 1439. Ephesius replicauit, Basilium nequaquam de Spiritus sancti processione illud quod Latini profitentur, sensisse: cum si ita credidisset, contra sacræ scripturæ testimonium, sanctorumque patrum doctrinam & Conciliorum generalium constitutionem & definitiones scripsisset; quod nullam omnino fidem meretur. Nam scriptura Ioannis 15. aperte profitetur Spiritum sanctum a Patre procedere.

1. Cor. 2.

Gregorius cognomento Theologus exponens illud Pauli: *Nos non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*: inquit, *Vnus Spiritus sanctus ex Deo essentiam habens, ac per Filium manifestatur hominibus*. Ex quibus infert Spiritum sanctum a Patre dumtaxat, & non a Filio procedere. Confirmat eam expositionem auctoritate Dionysii & Athanasii, qui solum Patrem fontem supersubstantialis deitatis appellant. Ergo, inquit, Filius non potest esse fons deitatis. Denique idem ex Nicæni Concilii epistola pro Leontio Cæsarensi episcopo scripta confirmat. Cumque interloquendo dixisset Ioannes, Marcus prolixitate sua conditiones supra positas excedere, idque Marcus plane negasset, permittum est Ephesio suam quam cœperat, prosequi probationem. Allatis igitur pro sua sententia Nicæni, Constantinopolitani I. & Ephesini Concilii auctoritatibus, iisque auctoritate Basilio, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli &

Theodoreti apparenter confirmatis, conclusit Spiritum sanctum ex Patre dumtaxat procedere. Iussus respondere ad argumenta Ioannis, suam, quam de non corruptis Græcorum codicibus supra aliquoties attulerat sententiam, ad nauseam vsque repetiuit. Cumque idem argumenta alia memoria sibi excidisse allegaret, a Ioanne, quæ præcedente sessione prolixius disseruerat, breuiter repetita fuerunt.

His absolutis, imperator impensis & periculis, quibus se suumque imperium pacis gratia ad Synodum accedens exposuerat, commemoratis, patres Concilii serio admonuit, vt postpositis disputationibus de modo ineundæ pacis & concordiaë vtrimque cogitetur. Græci ea conditione imperatori obtemperare parati erant, si epistolam Maximi ad Marinum presbyterum scriptam Latini susciperent. Summus pontifex eadem de causa interpellatus respondit, non prius de pace & concordia transigendum, quam Græci post habitam prolixiorum orationem, vt promiserant, Latinorum responsionem audiissent. Qua de causa imperator sequentem sessionem vigesimamquartam 21. Martii celebrandam indixit.

Qua prædicto tempore Florentiaë instituta, Ioannes ad probationem Ephesii quem præsentem exoptabat, responsurus, prætermisso primo argumento illius ex cap. 15. Ioannis desumpto, & ad quod sessione præcedente responderat, eundem locum in Græcos detorqueus, ostendit Spiritum sanctum ex Filio procedere, tum quod Spiritus sanctus a Filio mitteretur, tum etiam quod omnes fere patres apertis verbis testarentur, Spiritum sanctum ex Patre per Filium, vel ex vtroque procedere: ipsamque particulam, per, idem significare, quod, ex, præpositio denotat.

Sessione XXV. & vltima, quæ habita est 24. Martii, anno Christi 1439. Ioannes alio testimonio Basili, Epiphani, Athanasi, Didymi & Cyrilli, doctrinam Latinorum de processione Spiritus sancti iterum confirmavit. Quæ cum dixisset, Græci que instituta hac de re priuata collatione, ea omnia veritati consona esse cognouissent, Græcis omnibus priuatim in templo sancti Francisci conuenientibus, vnico Ephesio excepto, visum est, cum Romanis ineundam esse pacem, vnionem & concordiam: ideo in primis, quod tot sancti patres doctrinam de processione Spiritus sancti ex Filio procedentis profiterentur. Cumque Ephesius obiceret, omnes fortasse codices hac in re corruptos esse, dixissetque contra eundem Bessarion Nicænus, ista ratione futurum, vt sublatis, quæ vt ille putabat, mendis, sola papyrus relinqueretur: vnanimi consensu missis ad pontificem internuntiis, pacem & concordiam contrahi, modumque ineundæ vnionis a Romanis pontificibus præscribi petiuerunt.

Qui dum iis optionem dedisset, vt vel testimoniis patrum pro nostra sententia allatis acquiescerent, vel ipsi his refutatis alios afferrent, vel de sui dogmatis pietate maiore contententes, illud habitis desuper sessionibus probarent: vel id quod singuli præuio iuramento dixissent, ratum ac definitum haberent. Additis hisce condi-

Concil. Tom. 33

R r r r ij

Sess. XXIV.

Sess. XXV.

Græci conuicti petunt vniri cum Latinis.

Modus vnionis a pontifice præscriptus.

Græci recu-  
sant dispu-  
tationem.

tionibus, Græci fere omnes suæ causæ diffidentes concluderant, Latinorum sententiæ accedendum esse. Renuntiatum est per imperatorem pontifici, displicere omnibus suis disputationes & contentiones, optari a singulis ut de modo coniunctionis agatur, eumque in finem utrimque certæ personæ designentur: alioqui se iamiam ad abeundum paratos esse.

Bessarionis  
oratio pro  
vniione ha-  
bita quan-  
do.

Respondit pontifex mittendos esse cardinales, qui in priuato conuentu coram imperatore responsum referant. Interea dum hæc utrimque fierent, iamque conuentus congregatus esset, Bessarion habuit illam orationem de pace ineunda, quæ ob sui prolixitatem actus postposita inuenitur. Quæ absoluta, Iulianus pro summo pontifice responsurus dixit, culpa Græcorum leges & pacta conuentionum non seruantium, pauucas habitas fuisse disputationes. Sentire igitur pontificem, ut quia res commode aliter quam per disputationem fini-ri non posset, neque suis testimoniis hætenus responsum esset, disputationes & sessiones renouentur. Cumque imperator disputationes cessari, Iulianus easdem renouari, iterum atque iterum repetiuisent: placuit tandem quod suggesserat imperator, ut utrimque decem collatores instituerentur, qui si octies congressi non conuenirent, singuli dissoluto Concilio abirent. Primo conuentu Latini exposuerunt, quid de processione Spiritus sancti ex Filio sentirent & crederent, illudque argumentis supra positis breuiter confirmarunt. Secundo Græci auctoritate Tarasii confirmantes Spiritum ex Patre per Filium procedere, dixerunt *Per & Ex* diuersum significare. Latini vero illud nequaquam admiserunt, utpote quod ista ratione sequeretur absurdum hoc, duas esse in diuinis operationes.

Priuata col-  
latione pri-  
ma quid a-  
ctum.

Tertium congressum Græci, cum nihil haberent quod responderent, subterfugerunt: coacti tandem a Latinis conuenerunt ea lege, ut Latini scripto declararent, quid de Spiritus sancti processione, eiusve processione principio sentirent. Quod cum illi duabus formulis hac de re conscriptis præstitissent, petiuerunt idem a Græcis fieri. Obtemperarunt petitioni eorum Græci, scripserunt formulam qua profitebantur, Spiritum a Filio *scaturire, hauriri, prodi, emitti ac profundi*. Acceptam fidei formulam Latini declarari petiuerunt, quia de temporali missione prædicta verba accipi poterant, quamquam alii patres de æterna Spiritus sancti processione eadem accepissent. Græci recusarunt: imperator Latinis satisfactum putans, pontificem adiit, & Latinorum socordiam accusauit. Pontifex respondit iustum esse, ut suam quam scripserant fidei formulam explicarent, cum particula *Per* quatuor significata habeat, & *scaturire ac hauriri* de temporali missione & æterna processione Spiritus accipi possint. Cumque hac de re diu inter pontificem & imperatorem actum esset, dixissetque imperator suos grauate a sententia antecessorum suorum discedere posse, neque se conuentum suum tyrannice cogere velle: iussit pontifex totum Græcorum conuentum ad se venire, quo præsentem orationem re-

Latini &  
Græci scri-  
pto decla-  
rant fidem  
suam.

Græci suam  
formulam  
declarare  
recusant.



citavit paulo longiorem, qua res Ferrariæ & Florentiæ gestas, sumptus huic rei a se impensos, affectumque pro pace ineunda semper exhibitum pluribus commemoravit: ac tandem perorans rogavit, ut omni pertinacia seposita, ad pacem, unionem & concordiam promptiores efficiantur, suamque quam ediderant fidei professionem, ad evitandas ambiguitates & tollendas obscuritates, declararent. Quæ cum Græci suo patriarchæ Iosepho retulissent, ille imperatori nuntiavit, se pacem & concordiam desiderare, & cum Romana ecclesia coniungi velle, etiamsi imperator contradiceret: ideoque rogare ut optatam sibi totique Græcorum conventui concordiam ipse promoueat.

Pontificis oratio ad Græcos habita.

Iosephus patriarcha, imperator & omnes Græci optant unionem.

Hoc nuntio imperator plurimum perterritus & consternatus, oratione ad episcopos habita persuasit concordiam ineundam esse, tum quia concordia utilis, discordia vero incommoda simul & inhonesta foret. Quæ cum imperator dixisset, Græcorum episcopi omnes una cum patriarcha, præter unum Marcum Ephesium, alii scripto, alii voce publice professi sunt, Latinorum sententiam veram esse, sanctorum patrum doctrinam esse, adeoque Christianum non esse, dignumque anathemate videri, qui contrarium sentiret vel crederet. Cumque hæc pontifici nuntiata essent, egissetque ut de processione Spiritus sancti nobiscum gratia Dei conuenientes, quid de purgatorio, animabus beatorum, primatu pontificis, de azymo & fermentato pane, deque diuina panis transmutatione sentirent, scripto aut voce profiterentur; eaque occasione episcopi dixissent se purgatorium admittere, animas sanctorum perfectam aureolam in cælis iam consecutas esse, pontificis Romani potestatem vniuersalem super omnes ecclesias agnoscere; de panis vero transubstantiatione suorum sententiæ inhæsisent, eademque occasione Iosephus patriarcha subitanea morte defunctus, paulo ante obitum scripsisset, se omnia credere quæ Romana ecclesia credit ac docet, Romanumque pontificem Christi vicarium agnoscere, purgatorium non inficiari: institit Romanus pontifex & impetrauit, ut præuia consultatione, scripturarum & sanctorum patrum inquisitione, etiam in reliquis fidei controuersis Latinorum sententiæ accederent: nimirum quod crederent & profiterentur Romanam ecclesiam de processione Spiritus sancti non tantum pie sentire, verum etiam licite & conuenientissime particulam illam *Filioque* ad symbolum addidisse; Romanum pontificem in ecclesia primatum tenere, verumque Petri successorem esse; purgatorium existere, parumque referre siue in azymo, siue in fermentato pane sacramentum eucharistiæ consecraretur.

Iosephi patriarchæ sententiæ qualis.

Quos errores Græci emendauerunt.

His ita peractis a duodecim viris vtriusque deputatis, quæ extant unionis literæ Græcæ simul & Latine conscriptæ, omniumque eorum qui Concilio interfuerant, subscriptionibus approbatæ fuerunt. Peracto solenniter per summum pontificem sacro, eadem literæ per Iulianum cardinalem primum Latine, deinde vero per Bessa-

R rrr iij

Quid Græci de matrimonio.

tionem Græce in ecclesia magno omnium gaudio lectæ & promulgatæ fuerunt. Postquam ergo Græci genu dextramque pontificis osculati fuissent, quæsiuit pontifex, cur matrimonia separarent, aliisque ritibus quam Romana ecclesia in consecratione vterentur: item cur non etiam patriarcham Romæ eligerent: ipsique respondissent, se priora illa non sine causa docere ac facere, patriarcham alibi quam Constantinopoli non eligere, quia id sit præter consuetudinem & priuilegia Constantinopolitanæ ecclesiæ; dimissi sunt.

Armenorum vnio qualis & quando facta.

Dumque hæc agerentur, Armenorum patriarchæ legati ad Synodum venerunt, præuiaque pontificis veneratione & imperatoris debita salutatione, dixerunt, se suamque ecclesiam cum catholica coniungi, atque ipsum Synodi decretum pie seruare velle. Quod cum magno omnium gaudio acceptum esset, legati iidem magno honore affecti vna cum Græcis Florentia discesserunt anno Domini 1439. circa diem mensis Iulii vigesimumsecundum vel tertium. Post subscriptiones circa finem extat epistola quædam Eugenii papæ de vnione Armenorum & Græcorum cum Latinis inita, quaque hoc eodem anno mense Nouembri in quadam publica sessione synodali Florentiæ data & scripta habetur.

Quando hæc Synodus absoluta.

Vnde necessario colligitur Græcos & Armenos hucusque Florentiæ permansisse; vel quod probabilius est, eandem Synodum post abitum Græcorum & Armenorum aliquot sessionibus, quarum acta nulla extant, continuatam: vel saltem aliam quamdam ab hac œcumenica Synodo diuersam, eodem anno 1439. decimo Kalendas Decembris, quo die scripta habetur prædicta Eugenii synodica epistola, celebratam fuisse. Hæc quæ ex præcedentibus sessionibus excerpta summam recensui, ex Antonino, qui Concilio præsens interfuit, hic adscribenda esse putavi, idque lectori gratum fore iudicavi. Verba illius hæc sunt: *Cum Eugenius Bononia in curia resideret, Græci, patriarcha scilicet & imperator eorum cum proceribus imperii ipsius tractare cœperunt per oratores cum eo de concordia & vnione facienda eorum cum Latinis, vt vnum esset ouile & vnus pastor. Ad quod efficiendum postulabat Concilium generale celebrari, in quo presente Romano pontifice, & patriarcha Constantinopolitano, ac imperatore suo, per doctores vtriusque partis disceptaretur rationibus, quid tenendum respiciendumve foret de veritate Christiana religionis. Quibus annuit summus antistes.*

*Vnde ex Constantinopoli præfati patriarcha & imperator cum fratre suo & magno comitatu, numero fere quingentorum, se mouentes Venetias applicuerunt. Ibi percipientes Concilium generale Basileæ congregatum discessisse ab Eugenio, aliquamdiu subsederunt animo suspensi de loco accessus sui. Nec enim congregati Basileæ post dissolutionem & irrationem factam Concilii per Eugenium desisterent a prosecutione incepti, sed solliciti inuitabant Græcos Basileam ad Concilium id accedere. Præualuit tamen auctoritas Eugenii cum suasionibus plurimorum, vt ad præsentiam suam se conferrent.*

Concilium Ferranense.

*Et vt satisfaceret petitioni eorum, Concilium generale indictum est &*

publicatum Ferraria celebrandum, quo ipse Eugenius cum sua curia e Bononia profectus est: & venientibus Gracis episcopis, & aliis prelatibus qui haberi poterant, in breui vocatis, cepit materia agitari de processione Spiritus sancti, quem a Patre & Filio procedere Latina fatetur ecclesia, Graca negabat. Verum quia pestis Ferrariam cepit inuadere, transferebatur Florentiam. Et cum Eugenius eo tendere statuisset, insidia ei in via paratae sunt ad capiendum eum. Sed detectis eis declinavit a via recta, alteram insuetam assumens, & periculum euadens. Florentiam ingressus summo cum honore & gaudio suscipitur, locatus in ecclesia Prædicatorum. Paulo post secutus est eum patriarcha & imperator Constantinopolitani cum doctoribus suis & proceribus, cum magna solennitate in urbem ingressi, & honorabiliter collocati in diuersis mansionibus. Patriarcha vero Constantinopolitanus plenus dierum, paulo post in sede Romana ecclesia migravit e sæculo, sepultus in ecclesia sanctæ Mariæ Nouella.

Transfertur Florentiam.

Conuenientibus igitur Latinis & Gracis die statuta, in loco determinato residentia pape in conuentu Prædicatorum, publico consistorio, loca vnicuique decencia omnes sortiti sunt. Et pontifex summus in throno eminentiori ornato resedit, facie versa ad orientem; iuxta quem reuerendissimi domini cardinales a dextris & sinistris distincti paulo inferius. Imperatori vero Græcorum sedes parata est decora e contra pontificem in aliquali distantia, vultu conuerso ad occidentem.

Doctores Latini disputantes in latere per transversum, sedes acceperunt versi ad meridiem. Graci vero magistri considerabant versi ad Aquilonem: ceteri circumdantes plurimi aliqui steterunt, aliqui in Domini terra substratis tapetis se locauerunt. Et ex Latinis quidem assumpti sunt quatuor: duo episcopi, vnus Colossensis ordinis Prædicatorum in theologia doctor egregius, & vtriusque idioma peritissimus; alter ordinis Minorum doctissimus: & duo alii, abbas generalis Camaldulensis vtriusque lingua peritus, dominus Ambrosius, & magister Ioannes de Monte nigro, profundus theologus, ordinis Prædicatorum prouincialis Longobardiae.

Domini terra, id est humi.

Et in capite eorum residebat dominus Iulianus cardinalis sancti Angeli, qui nuper venerat ex Basilea, dimisso Conciliabulo. Ex Gracis episcopus Nicænus, & episcopus Ephesinus, & quidam alii. Arguens autem in ea disputatione fuit magister Ioannes de Monte nigro præfatus solus, & responsalis Ephesinus solus. Vt autem omnes intelligerent eum, arguens idioma Latino utebatur, & responsalis Graco: medius autem constitutus est vtriusque lingua peritissimus quidam, qui promptissime, fidelissime & eloquenter verba Latina arguentis referret in Graco responsali, & verba Graca eius interpretaretur in Latino.

Post aliquas propheticas & subriles rationes, & responsiones inductas, placuit partibus procedere per locum ab auctoritate, qui est potissimus in theologica facultate. Inductæ sunt auctoritates multorum doctorum Græce scribentium, vt Anastasi, Cyrilli, Didymi, Chrysostomi, & maxime magni Basili, qui habetur apud eos in magna veneratione sanctitatis & doctrina, qui in libro ad Eunomium de Spiritu sancto expresse asserit Spiritum sanctum procedere non solum a Patre, sed a Filio. Et

Locus ab auctoritate in theologia plurimum valet.

cum responsalis iam non haberet quid diceret, subterfugium quaesivit, negans hoc Basilium in eo libro scripsisse, sed mendose interpretatum, cum in codicibus suis Graece scriptis secum delatis hoc minime reperiretur.

Adducti sunt plures codices Basilii ad Eunomium Graece exarati, quorum aliqui erant apud Graecos, alii penes Latinos nostros Graeci sermonis peritos. Et cum in nostris & aliquibus Graecorum de Constantinopoli adductis liquide haberetur, Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere: deprehensa est malitia Graecorum, quod scilicet corruperant scripta Basilii, Filium subtrahendo in ipsa processione.

Spiritum  
sanctum a  
Patre Filio  
que proce-  
dere proba-  
tur.

Et cum imperator Graecorum diceret in partibus suis plurimos haberi tales libros Basilii Graece sic continentes, & illis paucis tunc in medium adductis non standum: respondit dominus cardinalis disputationi praepositus; Domine imperator, cum decreueritis ad certamen venire, oportuit magnificentiam vestram arma vestra vobiscum adducere, non in certamine ipsa expectare. Sicque Graeci confutati fuere & deuicti. Huic disputationi praesens fui. Sed & aliis diebus conuenientes in disputatione, demum conuicti, errorem suum confessi sunt, & ad emendationem parati, & ad unionem ac incorporationem cum Romana ecclesia dispositi, apostolica sedi se subiicientes.

Ille tamen Ephesinus acerrimus disputator permanens in perfidia sua, cum aliis ad veritatem fidei reuerti noluit. Verum ad patriam rediens, cum cardinalis Venetus destinatus legatus in regionem illam, Constantinopoli moram traheret, & in eius societate esset venerabilis episcopus Coronensis, dominus Bartholomaeus de Florentia sacrae theologiae professor egregius & Graeci idiomatis non ignarus, placuit eidem imperatori Graecorum & proceribus eius, ut fieret publica concertatio inter episcopum Ephesinum praefatum & Coronensem episcopum iam fama ibi celebrem. Quo facto, Ephesinus praefatus iterum ab eo superatus & confusus est, & tanta ex eo absorptus tristitia, ut intra paucos dies expirauerit cum sua perfidia.

Item paragrapho sequenti haec: Et eo anno scilicet 1439. in die Dominica mensis Iulii celebrata est solennis Missa in ecclesia maiori Florentiae, & praesentibus Eugenio papa cum cardinalibus, & aliis multis episcopis & abbatibus, ac etiam imperatore Graecorum cum aliis Graecis, & dominis prioribus Florentinorum cum vexillifero, & maximo populo ibi congregato cum ingenti gaudio, facta est dicta reconciliatio Constantinopolitana cum ecclesia Romana, & confessio fidei secundum symbolum quod cantatur in ecclesiis Latinis per Graecos, & super his facta declaratio fidei tenenda ab omnibus fidelibus Latinis & Graecis, quae sic incipit. Extat supra.

Tres Graecorum errores, quorum duos sequuntur protestantes, tertium minime.

Et post recitatam epistolam Eugenii haec subiungit: Errabant Graeci in tribus communiter. Primo, quod Spiritus sanctus procederet a Patre, sed non a Filio. Secundo, quod non erat purgatorium post hanc vitam. Tertio, quod ecclesia orientalis & Constantinopolitana non esset sub ecclesia Romana, nec patriarcha Constantinopolitanus esset inferior Romano pontifice. Horum quodlibet est hereticum. In aliis ritibus suis qui non important heresim (licet rationabiliores sint ritus ecclesiae occidentalis

talis seu Romana) fuerunt permiffi manere: ficut, quod celebrent in fermentato, quod baptizent in alia forma quam nos, videlicet: Baptizetur feruus Dei nostri in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Item quod ordinati in facris vtantur matrimonio contracto ante fufceptionem ipforum ordinum facrorum. Item quod nutriant barbam. Item quia dent facramentum euchariftie fub vtraque fpecie omnibus, etiam paruulis: & multa alia.

Insuper & Armeni, & aliqui ex India miferunt oratores fuos Florentiam ad dominum Eugenium, poftulantes & fupplicantes inftitui & erudiri in iis qua funt fidei a Romana ecclefia, & vniri cum ea in caritate Chrifti. Qui examinati, in paucis reperti funt difsentire a catholica fide, & in illis fubiecerunt fe correctioni apoftolica fedis. Que de confilio pralatorum decreuit in ritibus fujs, qui non funt contra veritatem fidei, permitti, ficut & Greci, licet difsimiles fint a moribus Latina ecclefia: in aliquibus vero, qua a fide vera difcrepabant, prohiberi: vt quod facramentum confirmationis non habebant in vfu conferendi illi nationi, declarato eis, quod illi ficut & cetera facraria deberent accipere, credere & conferre; & aliqua alia, qua nunc non occurrunt menti. Quibus determinationibus acquieuerunt.

Armeni cum Romana ecclesia confentiant. vide Concilium.

Quibus honoribus Eugenius papa poft finem Concilii Bessarionem affecerit, ex Chalcocondyla recitauit fupra, verbo Concilium.

<sup>h</sup> Anno Domini. ] Quo tempore Concilium habitum & inchoatum fuerit, & quamdiu durauerit, ex iis qua fupra fummatim dixi, euidenter confat.



ANNO CHRISTI 1440.

CONCILIVM FRISINGENSE  
IN CAUSA ECCLESIASTICARVM  
constitutionum tempore Nicodemi de Scala epifcopi  
celebratum anno Domini MCCCCXL. fub Eugenio  
papa IV.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De clericis peregrinis & ignotis.                         | XI. De decimis.   |
| II. De iudicijs.   | XII. De regularibus & eorum ftatu.                                    |
| III. De foro competenti.                                     | XIII. De iure patronatus & aduocatis ecclefiarum.                     |
| IV. De vita & honeftate clericorum.                          | XIV. De cenfibus & exactionibus.                                      |
| V. De cohabitatione clericorum & mulierum.                   | XV. De benedictione falis & afperforii diebus Dominicis.              |
| VI. De clericis non residentibus in ecclefijs vel prabendis. | XVI. De celebratione Miffarum.  |
| VII. De prabendis & dignitatibus.                            | XVII. De baptifmo.  |
| VIII. De conceffionibus prabende & ecclefia non vacantis.    | XVIII. De custodia euchariftie, chriftifmatis & aliorum facramentoru. |
| IX. De rebus ecclefia no alienandis.                         | XIX. De clandestina defponfatione.                                    |
| X. De feptuluris.  | XX. De fimonia, & ne aliquid pro                                      |
- Siffi

Concil. Tom. 33.